



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

227 Respondetur argumentis in contrarium facientibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

exemptis & immediatè subiectis Apostolicæ
Sedi? Solius erit Pontificis ex iure quidem
communi permutationes admittere; sed ex
consuetudine vel ex indulgentia potissimum
Pontificis poterit esse Capitis inferioris ea-
rundem Ecclesiarum vel etiam Capituli siue
Collegij cuiuspiam, præsertim si Pontifex ip-
sis ordinariam beneficiorum conferendorum
facultatem (sicuti fit) indulserit. Consulen-
dus hac in re Glossographus in Clement. vni-
cam de rerum permut. quod & Rebuffus loco
modò memorato minimè silentio præterit.
Non obstat argumentum præcipuum à Glos-
sographo pro sententiâ contrariâ prolatum,
de vacatione beneficij per resignationē ex cau-
sa permutationis, ideoque Pontificios expe-
ctantes esse præferendos permutantibus, cum
soli sint hic excepti permutantes illa tantum
beneficia quorum collatio pertinet ad Episco-
pum, qua si in cuius vnus atque solius fauo-
rem constitutio hæc emanauerit; quo fauore
cessante (dum collatio cuiuspiam est alterius
quàm Episcopi) cessare simul Constitutionis
Bonifacianæ dispositionem: nam longè quid
aliud esse, collationem ad solum Episcopum
pertinere, quàm sit collationem ad alios perti-
nere siue solos siue simul & ad Episcopum &
ad alios. arg. l. præcipimus. C. de Appell. &
arg. c. cum in illis. & capit. vlt. s. de præbend.
Non obstat, inquam; quandoquidē quòd col-
lationis Episcopalis hic fiat mētio, non ad cap-
decisionem sed aliò pertinet sicuti modò re-
spon-

226

*In Exemptis
Ecclesiis per-
mutationem
quis admitte-
bat.*

227

*Respondetur
arg. in con-
trarium fa-
cientibus.*

spondebatur; quod & ex ipsa Constitutionis huius ratione per Pontificē subiecta satis colligitur, dum verbis utitur hisce, *permutationem beneficiorum qua alias minimè resignassent*. quasi diceret, expectantibus nihil decedit; quia nisi permutatio posset absolui permutantes nolissent resignare sua beneficia sed ea sibi retinere voluissent, & per consequens nihil vacasset pro expectantibus. Quæ ratio generalis est omnibus omnino beneficiis permutandis, siue penes Episcopum solum sit eorundem beneficiorum collatio siue penes alios etiā quoscumque. Quæ dubitatiuncula per Clementinam vnic. eodem tit. penitus est sublata.

228
Clementina
unica h. tit.
quorsum?

Ait Pont. *liberè resignant*. Nota liberā quoque resignationem dici non tantum quæ fit simpliciter & absolutè sed quæ fit permutationis causa; propterea nimirum quod non fiat vi vel metu sed spontanea voluntate. Dic ergo *liberè*. i. spontanea voluntate liberrimoque consensu, non autem quod Episcopo liberum sit cuicumque velit alteri beneficium sic resignatum conferre. Quæ interpretatio menti Pontificiæ mihi videtur conformior quàm quod Glossographus ait *libere*. i. absque Simonia vel ut Simonia vitetur; quamvis hoc per se sit verissimum, resignationem scilicet ex causa permutationis factam Simoniacè, non sibi permutantes hosce; sed efficere ut expectantibus detur locus. vnde videri prima facie posset hæc interpretatio Glossographi melior quàm sit illa mea superior, nisi quod vox

229
Liberà resi-
gnatio quæ
fit hic intelli-
genda.

liberè